

Capitulum secundum.

De honesta sumptiōe victua- lium elemosinarum. Capitulum secundum.

*Mo. sta p. m. fa
sumda*

De elemosina

no k

Ornamenta clericorum etiam maxime consistunt in largitione elemosinarum. et in victualium sobria et honesta sumptione. observantes ista sex in mensa que habent. xliij. dis. Cōiunia. et. c. Pro reverētia. ¶ Primum ut vita absentium non mordeat. ¶ Secundum ut presentes non irrideant. ¶ Tertium ut verba inania et secularia non recitent. ¶ Quartum ut verba sacre scripture legant. ¶ Quintum ut cibus non nisi ad sustentationem sumat. ¶ Sextum ut in principio et in fine deo laudes referant. qui nobis namque necessaria tribuit et perat sine nostro magno labore et cura. Unde Hugo: Si vivimus de annona christi. iustum est ut laboremus in servitio christi. et de reliquijs mensarum nostrarum cibemus christum in suis pauperibus. de quibus dicit Quicquid uni ex minimis meis fecistis. mihi fecistis. Math. xxv. ¶ Pro quo sciendum quod manus sacerdotum oleo inunguntur. ut nihil terrene eis adhereat. sed totum per largitatem elemosinarum effundant. Unde in ecclesiastes scribit de sacerdotibus. Non sit manus tua ad accipiendum porrecta. sed ad dandum collecta. Et Isaias ait. Principes tui infideles sunt foris furum. omnes dilati sunt munera. pupillo non iudicant. et cause vidue non ingrediuntur ad eos: A minore usque ad maiorem omnes avaritie studeant et dicunt. Pax. et non est pax. quasi diceret. Sacerdos dicit peccasti. fac missas celebrare. et offer mihi peccunia. et recipies remissionem peccatorum tuorum. Et sic satiunt pacem cum domino. et non est pax. nisi quia celebratio missarum cedit eis in lucrum. Et predicatorum predicant pacem dicentes. Da unum denarium et habebis remissionem omnium peccatorum. Et adhuc non est pax. Sed quia sollicitudo omnium christi commissa est pastoribus. Precepit igitur eis dominus vigilare. predicando et bene operando. et sic lupos a suis ovibus arcendo. Unde Jacob ad Laban ait. Oves tue steriles non fuerunt. Nam sterilitas omnium. id est peccata pastoribus imputantur. Unde scribitur Numeri. xxv. Quando fornicatus est populus cum filiabus Moab. dixit dominus ad moysen. Tolle cunctos principes de populis et suspende eos in patibulo versus solem. Peccata enim subditorum redundant

in capita prelatorū. i. curatorum. ¶ Unde si hec perpenderent
homines principatus nō ambigerent. Durissimū iudiciū fiet
bis qui p̄sunt. Potentes em̄ potenter tormēta patient. ¶ Un̄
quidā religiosus bonus qui cū in episcopū fuisset electus nolu
it acceptare. et dixit vni post mortē. Si de numero episcopozū
fuissē. de numero damnatorū iam essem. Cur hec. Quia mlti
sunt curati qui obstruūt oculos spūales: ⁊ aperiunt oculos be
stiales. q̄ non vigilant cū cristo in oratiōe. sed cum Juda in cu
piditate. q̄ Judas alijs discipulis dormiētibz vigilauit vt do
minū suū traderet ppter pecuniā habendā. Sic curati si vo
cant a diuitibus. statim veniūt. Sed a pauperibus fingunt se
esse occupatos. et nō veniūt. Et timeo mi frater q̄ pastor fa
ctus sis: nō vt anias deo acquiras. sed vt diuitias multiplices
et dicas B̄dictus deus quia diues factus sum. Hec aut̄ gra
uar̄ actiones sunt latronū et raptorū qui deū benedicūt: dum
diuitias perfurtū aut rapinā acquirunt. Si aut̄ nō habes pa
nem verbi dei: nec vestem virtutū mirū est q̄ oues pro quibus
cristus sudat sanguinē suū in curam tuā presumis accipere. po
tius deberes dicere cū Isaiā. Dñe sum medicus: in domo mea
nō est panis neq̄ vestimentū: nolite me p̄stituere in principem
populi. In quo cōprehendunt collatores beneficiorū qui adu
latozibus et p̄sanguineis suis sponsam cristi cōmittunt. Qui
bus precat̄ Abacuck dicens. Ne bis qui edificāt syon in san
guinibus. i. ecclesias conferunt p̄sanguineis suis. Et hoc dico
nisi digni inueniant̄. Dñs em̄ consanguineos suos in apostola
tū promouit: vt patz in sancto Jacobo et fratre eius beato io
hanne. qui fuerūt filij sororis marie matris xpi. ¶ Notandum
vt superius dixi q̄ multū ornat clericū exercitiū in operibz pie
tatis. vt est dare elemosinā. hospitare paupes: ⁊ ingentosos ad
studiū iuuare. vt crescāt pro ecclesia sancta et in fide catholica.
qm̄ res clericorū sunt bona pauperū. Et ideo ad elemosinaz et
hospitalitatē tenentur. vt habet. xvi. q. i. Quoniam. Ubi dicitur
Quicqd̄ habent clerici pauperū est. et domus eorū seruire deo
bent suscepiōni peregrinorū et pauperū. Nec dicta sūt de cle
ricis in ḡnali. Inter quos magis obligant sacerdotes curati et
prelati ad obseruantia predictorū. quia quāto status altior est
tanto debet esse vira sanctorū: ne alijs p̄dicantes ipsi efficiantur

no 12

non

no 15

Opa p̄stabit n̄m in dñe
p̄m dñe

no 12

Capitulum

secundum.

reprobi ¶ Unde Jeronimus. Quid aliud est bene predicare et
peruerse agere q̃ pprio ore seipsum cōdemnare Item qui bene
predicat et male uiuit deum docet qualiter eum cōdemnare de
beat. vt habet. xl. di. **Dulci.** Unde Gregorius. vii. **Morali** Ze
lus animarū est acceptissimū sacrificium deo Si tamē ordinate
fiat. scilicet vt homo prius habeat curam pprie salutis. et postea
mo aliorū Alioquin nihil pdest homini si vniuersum mundū
lucret. anime vero sue detrimentū patiat **Barb. xvi.** Nam vita
sacerdotū est alijs in exemplū imitationis posita. vt ex interpre
tatione nominis patet Quia prespiter dicitur quasi prebens iter
populo. et ducatum in verbo dei et bono exemplo. ¶ Hinc ait
Gregorius Omnes qui sacerdotis nomie censent. angeli vocā
tur. Altū est enim hoc nomen sacerdos. In vita nō est inferior.
Et ideo libenter debet dare xpi pauperibus elemosinā In hoc
enim maxime edificant homines. alij in largitione elemosinarū
sacerdotū. ¶ Scribit enim **Bene. xviii. q.** Abraham et Loth
hospitales erāt. et ideo angelos recipere meruerūt Sed beu ti
mendū est q̃ hodie pauci sacerdotes merent angelos recipere.
Cum sint paucissimi sacerdotes quorū fores sunt aperte pere
grinis egenis et pauperibus Sed potius cōsanguineis poten
tibus et diuitibus et q̃d peius est bystrionibus et meretricibus
nec paup foris clamans auditur. Ideo dicitur **Prouerbi. xxi.**
Qui declinat aures suas ne audiat pauperem clamabit et ipse.
et non exaudietur Et **Bernhardus** ad **Henricum** episcopum
zenonensem sic ait. Clamat penuria pauperū. Clamant nudi et
famelici dicite pontifici. In freno quid fatiat aurū. quid confe
runt mutatoria vestiū in parietibus extensa. Nostrū est aiunt
pauperes. et nobis crudeliter subtrahit quod vos inaniter ex
penditis. ¶ Item **Bernhardus** ad **Fulconem** ait. Quicquid
preter necessarium victū de altari retines. tuum non est rapina
est **Sacrilegiū** est O q̃ caute oportet nos glosare. Et quantū
oportet nos necessitatem exponere si huiusmodi verbi rigidam
veritatem debemus euadere. Et nos de rapina et sacrilegio ex
cusare. Quia dicit **Crisostimus.** Diuitie ecclesiarū siue benefi
tior non sunt pprie nostre sed dei Omnes enim nos voluit esse
dispensatores. nō dominos. Et quia stipendia ecclesiastica s̃
panes paupum iuxta concordem sententiam sanctorū patrum

ho spm huius

3

q.

in illo discrepantes: Non est bonum sumere panem filiorum et dare canibus, videlicet meretricibus et hystrionibus. Quod quoniam de peccatu est ymolare demonibus videlicet concubinis et vani-
 tatis huius seculi. xvi. q. i. Si cupis. Unde Jeronimus sic
 ait. Qui dat hystrionibus et meretricibus ymolat demonibus.
 ¶ Sacerdotes igitur ut sint efficaces hortatores ad misericordiam
 primo debent eam opere exercere. Non enim sufficit divina elo-
 quia predicare vel audire, nisi compleantur opere. Quia dominus
 non est cognitus dum duo discipuli quibus in via apparuit loquerentur
 de eo Et tamen dignatus est nosci dum pascat ab eis Ecce
 misericors deus eorum fidei subuenit, quos misericordes reperit
 Et ut nos misericordes sumus, hortat nos dominus in euangelio
 et precipit dicens. Estote misericordes, Luce. vi. Hinc est quod in
 istis fortis et patiens et misericors in die calamitatis et miserie
 non dicit Venite potentes, sed ve vobis qui itaque potentes fuistis
 ad bibendum vinum et vtri fortis ad miscendam ebrietatem. Nec
 dicit Venite sapientes, sed ve vobis qui sapientes fuistis in
 oculis vestris, et coram vobis metipsis prudentes. Nec dicit,
 Venite diuites, sed ve vobis diuitibus qui habetis hic consolationem
 vestram Luce. vi. Sed solis misericordibus dicit, Illud sua-
 vissimum eterne felicitatis eulogium, omnium amenitate et iocunditate
 raterectum Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis
 regnum Et pro causa assignat opera misericordie cum subiungit.
 Esurui et dedistis mihi manducare. Sed heu nostris temporibus
 inter sacerdotes refriguit caritas Sed malitia et carnalitas
 et precipue amor concubinarum intus inualuit, quod pauci sunt prout ad
 misericordiam. Unde Qsec. iiii. Non est pietas non est misericordia
 non est scia dei in terra, maledictum et mendacium, homicidium et fur-
 tum, adulterium et periurium inundauerunt, et sanguis sanguinem tetra-
 git. Nam id quod egenis et pauperibus dare debemus quod eorum est
 subtrahimus ipsis pessime: et damus concubinis et pueris nostris in
 maximum periculum animarum nostrarum, et ideo iusto dei iudicio cru-
 ciabimur ab ipsis in penis infernalibus in seculum seculi. De hoc
 mi frater accipe exemplum. ¶ Hic Rabanus narrat quod in dyocesi mo-
 nasteriensi erant duo fratres sacerdotes qui perant duabus prochijs
 primus nomine petrus pollebat bonis moribus et sacris scripturis frequenter
 instabat et orationibus pietatis et misericordie, secundus vero dicitur baymo multo

Capitulum secundum

tempore ^{ut} iumentū in sordibus luxurie cōputruit. ppter quod
ab officio diuino fuerit suspensus licet nō curauerit. Quadam
autē vice cū dictus Haymo in lecto cū concubina sua pausaret
tonitruū de celo cū ingenti fragore cecidit. et eos cit⁹ extinxit.
Qd audiens frater eius petrus multū lugebat. Sed ecce cum
tertia die post obitū fratris eius ipse Petrus post matutinas
deambulare vidit leenā mire magnitudinis cū magno strepi⁹
tu ad se venire que fratrē in dorso portabat. Deinde in humer⁹
eius sedebāt bufones ipm corrodetes. et caput eius bincinde
mouētes. et ori eius virus igneum inspuētes. In pectore vero
eius sedebat simea ignea que intima cordis sui mortifer⁹ den
tibus suis lamabat. Petrus vero frater eius agnoscens eum
ait. Heu heu frater mi. qz turpiter vixisti. igif crudeles babes
sotios. Rīdit ille miser et ait. Justū dei iudiciū est. qz scriptū
est. per que homo peccat per hec et torquet. Nam hec leena ignea
est mea cōcubina mihi olim multū amabilis que mecum in
lecto iacens fulmine viua mecum interiit. Simea autē ista ē filia
mea pulchra nimis. Sed bufones torquentes sunt nati mel
ppter quos deū non timui. et ideo ab eis torqueor in seculū se
culi. Quibus dictis miser ille euauit. Sed petrus frater eius
bonus in bonis opibus perseverās in dño obdormiuit. Sic
dñs iustus malos male perdet. et bonos honorifice coronat.
Hec oia scribit Rabanus in dictis suis. O mi frater hoc ex
emplū merito deberet te puocare ad magnā cōrrectionē cordis
tui ne tibi talia pingerent. Nam em oia babes que et ille infe
lix haymo habuit. Ecce in me etiā babes fratrē et vterinū tuū
pntem. deinde concubinā tuā nimis decoram. et filiā in simili
spetie. et natos tuos tibi carissimos. Quid em restat. nisi emen
daueris timeo marie tu ibis viā illius miserrimi plebani. Hec
scribo tibi et intimis cordis mei. Et ideo timendū est qd epi
scopi et plati: pastores curati. bñficiati. assumāt platuras et ani
marū curam solūmodo vt honorent et dicent. vt laute et deli
cate pascant. Non vt paupibus subueniāt. nec salutē animarū
subditorū suorū querant. Sed solū vt fm eorum voluntatem
viuāt. in venere: bacho: otio: et ludo. cum tñ honor nō est sine
onere. nec dignitas sine officio et labore. Hospitales igif oportet
esse sacerdotē et elemosinarū distributorē. quia res eorū sunt

*De mala inuentione
Platini*

pauperum. Nam fidelis magister dñs noster. Iesus cristus docet nos modū cōuiuandi dicens. Lu. ix. Cum facis cōuiuium voca pauperes id est debiles. claudos et cecos et retribuet tibi in resurrectione iustorū. Unde. Jeroni. ait. Nō memini me mala morte legisse mortuū qui libenter exercuit opera pietatis. Dabz multos intercessores. et impossibile est preces multorum nō etiam dari. ¶ Et est sciendum q̄ ante tpa clerici etiam seculares habuerunt omnia cōmunia. Actū. ij. Et hoc multis annis fuit. Sz postq̄ ecclesia tempore sancti. Siluestri pape et. Eōstantini imperatoris cepit crescere in vniuerso mundo. Tūc sancta mater ecclesia que spiritu sancto regit̄ vt seculares sacerdotes possent habere ppria indulgit̄ ppter hospitalitatem pauperz et peregrinorum cristianorum qui cōuersi erāt ad fidē de gentilitate dimissis omnibus suis securi sint. Cristū. vt quicquid p̄ter simplicem necessitatem residuarent. in vsus pauperz fideliter distribuerent et maxime in domesticos fidei vt patz indecretis in multis locis. Sed heu iam presentis t̄pis clerici nullū illoz faciunt. nec cōmunem vitam ducunt cum apostolis et tñ dicunt se habere ordinem sancti. Petri qui seruentissimus fuit amator cōmunis vite vt pater in cōdemnatione crudelissime mortis. Ananie et. Saphire. Nec etiam hospitalitatem et largitionē elemosinarū amant. Sed heu tertiū quod eis est strictissime inhibītū videlicet thesaurizare. Unde habeāt facere testamentū suis caris amicis et socijs carnalibus aut fundare anniuersariū siue missam aut cōsimilia post mortem facere. et nolūt attendere dictū magistri. Henrici de bassia qui dicit q̄ vnus denarius quē tu das in vita tua plus pdest tibi q̄ mille marce auri date post mortē. quia magna est distantia inter tps merendi et nō merendi. inter tempus gratie et pietatis et misericordie Et tempus strictissime me iustitie dei. ¶ Sed diceret. Ecce iā volo dare me viuente pro p̄terua missa. Ego dico tibi q̄ plus valeret q̄ iam daret pauperibus xp̄i. quoniam ipsoz est secundū omnes canones et doctores. Vodo ingrātū est spiritui sancto quicquid obtuleris neglecto eo ad qd teneris. Et si mille missas fundares non tibi cedūt ad salutem. Sed potius pauperibus illis quibus tu iniuriōse et in magna necessitate subtraxisti. eo q̄ eis nō donasti quod illorū fuit et est. Adhuc igit̄ ipsis cedit ad salutem non

B B i

Capitulum

secundum.

on Ambrosius

tibi. Ipsorum etiam est regnū celorū. Non em̄ iuuanum dicat
 veritas in euangelio. Facite vobis amicos de māmona iniqui
 tatis. qui habēt vos recipere in eterna tabernacula. Et qui s̄
 hī amici quorū sunt eterna tabernacula certe s̄ boni et volun
 tarii pauperes christi. quorū est regnū celorum. Non eorum qui
 iniuri et cōpuli s̄ panperes et qui murmurāt contra deum ip
 sum blasphemantes. et stulte arguentes et dicētes: Quia deus
 dat vni quo decem essent cōtenti. Non cōsiderantes ex impatiē
 tia eorū q̄ deus errare non p̄r. Attende etiam diligenter et pre
 oculis mentis tene dictū beati. Ambrosij sic dicentis. Non mi
 noris criminis est tollere quicq̄ cum possis et abūdas indigent
 bus denegare. Nam esurientiū panis est quem tu detines. Uis
 duarum indumentū est quod tu recludis captiuorū redemptio
 et abiectio est pecunia quam in terram fodis siue in cista nequi
 ter abscondis. Et quicquid tibi retines aut pro te expendis pre
 ter necessariū victū censeris raptor et sacrilegus. A fortiori igit
 clerici qui cōsanguineis et hyltrionibus. meretricibus siue cōcu
 binis bona ecclesie distribnūt raptos s̄ censendi et sacrilegi.
 Sunt adhuc nōnulli errātes vebementer putantes recipe sta
 tim postq̄ fraudauerint anniuersariū premiū a deo p̄ omnibus
 missis quarum aliquę vic legunt fortassis post centum annos.
 Non attēdētes dictū sancti. Thome dicentis. Nullum premiū
 datur nisi post sinē laboris. Anima em̄ existens in purgatorio
 nō recipit alicuius. Cōsiderantes em̄ nōnulli hoc dictum sancti
 Thome. Laucius procurāt salutem animarū suarū hoc modo.
 ¶ Auscultant em̄ quidam monasteriū vbi viget regularis ob
 seruantiā et vbi regnat volūtaria paupras et p̄fecti viri ipsum
 inhabitāt. quibus prestant certos libros qui abuti nō possunt.
 aut eis aliqua necessaria edificant. Aut alijs necessitatibus eorū
 subueniūt. quatenus singulis ebdomadis duas vel tres missas
 tandem per vnum integrū annū aut certe duos pro salute ani
 maz suarum: in vita aut post vitaz istam celebrent. Istorū igit
 viroꝝ sagacitatem multū laudo et approbo quia caute ambu
 lant. Et dico notanter tū. p̄fecti viri et reformati. In quibus
 gratia dei inhabitat. et quorū oratio est multū accepta apud deū
 de q̄bus viris subinferā vnum exemplū. ¶ Cum quidā ciues
 dicissimus migrasset de hoc seculo per quendam scolarem filiū

de quodam T. parr

ipſius fratribus in quodam monaſterio reſormato: quos ille
diues in vita diligebat ppter eorum monaſticam vitam. deſtina
bat. ſc. marcas argenti: rogans vt animā eius deuotis oration
ibus deū commendaret. Illico abbas cōuocatis fratribus in
preſentia illius filij protulit hanc orationē. Requieſcat in ſancta
pace. Cōuentu reſpondente amen. Quod audiēs ſcolaris fili⁹
eius dixit. Parū eſt pater qđ dixiſtis. Vellem enī qđ pſalteriū
et ceteras miſſas pro anima eius legeretis. Tunc p̄cipiente ab
bate allata eſt ſtatera et verba p̄dicta. ſc. Requieſcat in ſancta
pace. ſcripta ſt in cedula. quam cedula ſuper vnam prem ſtare
poſuit dicens. Pone et tu argentiū tuum ſuper aliam partem.
Quod cū feciſſet. et ecce minutiffima cedula ad yma deſcendit.
et tanti argenti maſſa tanq̄ pluuiā ſurſum aſcendit. Et ait ab
bas. Vide fili mi qđ ponderoſum qđ virtuoloſum eſt illud verbū
videlicet. Requieſcat in ſancta pace: quod tu parū reputas. et
quam leue et exigū eſt tuum argentiū qđ tu magnū reputas.
Quo viſo ſcolaris ſeculū deſerens religionem intrauit. Cui pa
ter tertia die cum orationi inſiſterēt ſplendido habitu apparuit
dicens. Bene eſt tibi fili mi. qz euasi penas tricentoz. annoz. p
ter deuotā orationis prolationē abbatis et cōuentus vnde ergo
omnia que reliqui pauperibus criſti et eccleſiaſticis viris reſor
matis duntaxat deū timentibus diſtribue. Ex his dictis ena
huit. Et ex iſto inoleuit qđ ſtatim audita morte vnius ſubiun
gitur. Requieſcat in ſancta pace. O mi frater amāde. conſidera
quanta ſit diſtantiā inter caſtum et deuotum virum et inter lu
bricum et indeuotum virum et clericum. Tanta vero eſt diſtā
tia. ſicut inter angelum bonum et dyabolum maledictum. ac in
ter amicum dei et dyabolum. O mi germane conſidera diligen
ter quantum apud deum valeant caſta et deuota corda que ſic
tam cito poterant ipſam liberare a penis tricentozū annorum.
O intellige quantum tunc officiū miſſe deuote dictum a talio
bus ſanctis et caſtis p̄feciffet. Ex quo tantum potuerunt iſta
breuiſſima ſc̄ba. O ſi iſti fuiſſent viri ſymoniaci. p̄cubinarij. p̄o
prietarij minime tantam vini ſimoniaci. p̄cubinarij. p̄o
prietarij minime tantam vini hec verba habuiſſent. Stude er
go eis ſimilis fieri in vita. et diſmice tuam dolidam Et diſce
amare iheſuz. et eius caſtiſſimā matrem virginem mariam ſuper
omnem creaturam. Et hec de ſecundo capitulo dicta ſufficiūt.

B B ij

1. p̄ſb. v̄nary

Capitulum tertium

De labore et oratione sacerdotum.

¶ Capitulum tertium.

Postolus paulus sic ait. Qui nō vult operari nō manducet et tūc digne mercedem accipimus. si prius boni operarij fuerimus. q̄ si non laboramus et manducamus? tanto maioris criminis rei erimus quanto beneficia dei indigne sumimus. Oportz ergo vīseruiamus ei a quo pascimur. Si sine periculo anime sumere volumus hec que nobis distribuit. Et tanto solliciti esse debemus in bono ope et seruitio dei quāto ea percipimus sine magno labore. Nā quid mirū. si qui temporalibus negotijs occupant. minus studiose viuunt. si frequēter cogitationibus. locutionibus atq; actibus suis deum offendunt. Ex quo vsus seculi hominem quandoq; inuitū ad peccādum trahit. Hī vero quibus cura mūdi et peccandi occasio deest. quanto minus religiose viuūt. tanto grauius iudicem super hū offendunt. Unde. Psalmi. In labore hominū non st̄. et cū hominibus nō flagellabunt. ideo tenuit eos supbia. ¶ Bern. ait In labore hominū nō sunt vani et otiosi sacerdotes. Lū em̄ cuncti status hominū aliquid laboris habeant et aliquid voluptatis. Clerici quidem inter hec nouo quodā artificio discernentes. totum qđ delectat in quolibet statu elegerūt. et totum quod molestat respuūt. Et ideo qz in labore hominū non st̄ et cū hominibus nō flagellabunt. et ideo cum demonibus torquebunt. Nam sacerdotes nō solum ex caritate fraterna sed ex precepto et iustitia p alijs orare tenent. vt habetur in. c. Quia sacerdotes. x. q. i. Ubi dicit. Sacerdotes pro omnibus orare debent. qz elemosinas et oblationes recipiūt. st̄ etiam sup populū dei p̄stituti. et vite dispendia eis dantur. vt in ieiunio et fletu et planctu. sicut olim plorabant sacerdotes et leuite peccata populi que cōmedunt deplorent. Jobe. i. Et vt morte bonorum pastoz. vigilias noctis sup gregem suum custodiāt et in orationibus vigilent. Et quanto sacerdotes digniores sunt. tanto facilius in necessitatibus p quibus clamant exaudiunt. i. q. i. Ipsi sacerdotes. ¶ Item non solum sacerdotes. sed et omnes clerici maxime beneficiari ex precepto ecclesie et ratione iustitie tenent ad horas. Unde etiā clericus beneficiatus. et etiā

*Orat pro d. h. v. l.
notat. p. m. d. o. b. e.*